

de monasterio euocari, quod etiam minime fecisset, si per obedientiam coactus non fuisset. Preter solitas etiam orationes et horas canonicas idem bonus homo psalterium integrum cottidie usque ad ultimum suum diem, factus monachus, cepi deuote perorare, et hec de eius conuersione sufficiant.

6. Cum pie recordationis dominus papa Innocentius tercius, qui Rome concilium celebrauit*, apostolice sedi presideret, predictus dux de Zeringen tyrannidi sue modum non ponens, in curia Romana non solum de malitia sue tyrannidis, sed etiam de infidelitate a multis grauiter accusatur. Ea tempestate predictum monasterium Tennibach regebat dominus Bertholdus abbas**, nobilis quidem genere, sed nobilior fide et religione, filius sororis eiusdem ducis, pater uero eius comes de Vrach nobiliter fuerat similiter procreatus. Detestabatur itaque abbas idem auunculi sui uesaniam, unde et ipsum exosum habebat, quia non est communicatio Christi ad Belial, nec fidelis ad infidelem, presertim cum ei mundus crucifixus esset et ipse mundo, unde accidit, ut idem abbas ueniens a curia Romana, quibusdam sui monasterii priuilegiis renouatis aliisque de nouo impetratis***, a duce, uidelicet auunculo suo, uocatus, uenire non distulit, nullo eius amore ductus, sed sui monasterii iacturam metuens, principis edicto parere non recusabat.

7. Ingressus itaque curiam ducis, ipsum cum suis ministerialibus et militibus in castro Friburch iocundum et hilarem inuenit, ludo et aleis quibusdam deditis, aliis uero choreas ducentibus et ad uocem organi cantantibus, gaudium mundi, quod ad instar puncti fore dinoscitur, perpetuis gaudiis stultissime pretulerunt. Nec mora, uix salutatione premissa, tyrannus aggressus inquisitionibus abbatem de statu curie Romane et de multis aliis, de quibus non est opus scribere, ne prolixitas mater fastidii in hoc opere accusetur. Idem uero abbas suam narrationem breuiter compleuit, quia palacium carcer ei fuerat, solitudo uero paradysus. Sed quia mala conscientia semper presumit seua, quamuis predictus dux foris uideretur leo rugiens in persecu-

cione, intus tamen lepus pauens erat formidando ecclesie gladium, uidelicet excommunicationis sententiam, porte enim inferi non preualebunt aduersus ecclesie auctoritatem, quia fundata est supra firmam petram*. Unde idem dux, conscius sue iniquitatis, quesiuit quadam subsannatione, si quidquam dextrum uel sinistrum de eius persona in curia traclaretur, presertim cum eius fama Germaniam et partes Gallie grauiter occupasset, ad hec abbas intrepidus, armis spiritalibus munitus, tyranno rotundo ore respondit: „Vestre questioni aliud mallem responsum dare, non enim potero esse boni nunciij haiulus, si meram uobis dixerero ueritatem.“ Hoc tyrannus audiens, furore repletus, cum indignacione sciscitabatur, quenam essent, de quibus, inquit, abbas sibi responsum daret. Ad hec abbas intrepidus, domine, inquit, uobis plane imponitur macula infidelitatis et tyrannica rabies, per quam longe lateque belligeratis committendo seua per oppressionem indebitam uiduarum et pupillorum. Exclamans dux cum maxima furia omnes astantes hortatur: „Dicite, inquit, abbas de Tennibach pessimus hereticus est.“ Et sic expulit eum a conspectu suo et peruerse iurando omnibus audientibus dicebat: nisi fuisset sue sororis filius, ipsum de rupe castri iuberet pessime precipitari.

8. Et tunc idem tyrannus monasterium Tennibach moliebatur funditus destruere, unde accidit, quod lapides quadratos politos per vim inde tulit** et uasa uinaria post uindemias in possessione ipsius monasterii frangi et effundi militibus precepit. Militibus uero, timorem dei habentes, pauperibus Christi cupientes pia fraude subuenire, uas quoddam uactum rumpentes¹, aliis uino plenis pepercerunt², ipsis monachis preceperunt, ut cicius ad locum tucioem sua uina transcherent, ne deterius eis forte contingeret. Quid plura? Nisi breuiati fuissent dies ipsius tyranni per mortem, quam sua feritate accersire quodammodo uisus est, monasterium omne in rebus et personis penitus destruxisset.

9. Ad nostrum igitur propositum nobis recurrendum est, narrationem illius boni hominis persequendo, cuius memoria in benedictione est, attendentes uerbum sapientis, memoria, inquit, iusti cum laudibus, nomen uero impiorum putrescit***, unde tragedie ducis hic finem imponimus, in qua licet excessisse uideamur, quia indignum huic inseruimus opusculo ad declaracionem con-

¹ rumpentes, §f. ² perceperunt, §f.

* Matth. 16, 18. ** Die Brüche bei Thennebach und Wöppfinsberg lieferten gute Bausteine, noch im 15. Jahrh. wurden die Quader zum Münsterbau in Freiburg dorthier genommen. Zeitschr. f. d. Gesch. d. Oberrheins 3, 24. *** Proverb. 10, 7.